Sit omnibus notum, quod nos Beatrix, Dei gratia abbatissa monasterii Sancti Danielis Gerunde, per nos et succedentes nostras in dicto monasterio, gratis
et ex certa sciencia diffinimus, absolvimus et ab omni dominio et servitute nostri et dicti monasterii eximimus penitus et extrahimus vos Ermessendem Alamanya
parrochie Sancti Vincencii de Taneto, feminam propriam et solidam nostram racione dicti monasterii, absentem tanquam presentem, scilicet personam vestram et omnia bona vestra
mobilia presencia et futura ubique. Ita quod semper amodo cum bonis vestris mobilibus predictis sitis franca, libera et penitus absoluta ab omni dominio et ser-
vitute nostri et dicti monasterii. Quam quidem diffinicionem et absolucionem facimus domine Deo et vobis et [illegible] et cuicumque domino sive facere et alibi volueritis ad om-
nes vestras voluntates inde libere faciendas. Et pro diffinicione et absolucione huiusmodi habuimus et recepimus a vobis viginti solidos barchin-
de terno. Renunciando excepcioni peccunie non numerate et non recepte, et legi qua deceptis ultra dimidiam subvenitur, et excepcioni doli et actioni in
factum et restitucioni in integrum et omni alii iuri contra hec venienti. Et si forte plus inde nobis competit vel competere debet, totum illud
plus vobis et vestris damus et remittimus donacione irrevocabili inter vivos. Promittentes per nos et succedentes nostras in dicto monasterio dictam
diffinicionem et absolucionem ac omnia supradicta rata, grata et firma semper habere et contra ea non venire aliqua racione. Set predictam
tamen diffinicionem et absolucionem vel alia supradicta non diffinimus nec absolvimus nec diffinire nec absolvere nec a dominio nostro vel dicti monasterii
eximere intendimus, immo expresse retinemus et salvamus nobis et dicto monasterio ac succedentibus nostris in eodem Jaspertum et Bonanatum filios spurios
vestros et Berengarii de Petrono condam, de loco Sancti Vincencii de Taneto, et utrumque eorundem filiorum vestrorum. Hec omnia et singula in presenti instrumento
contenta facimus in posse notarii infrascripti tanquam publice persone nomine vestro et omnium quorum interest et intererit legitime stipulantis et recipientis.
Et ego dicta Ermessendis concedo et expresse consentio supradictis. Actum est hoc xv° kalendas aprilis anno Domini M° CCC° XXX° sexto. Signum
nostri Beatricis Dei gratia abbatisse. Signum mei Ermessendis Alamanya predicte, que hec firmamus et laudamus. Testes huius rei sunt
Petrus de Vilario, clericus dicti monasterii Sancti Danielis, et Bonanatus Marchi, ebdomodarius ecclesie Sancti Vincencii de Taneto.

Signum Guillelmi Regis, notarii publici substituti auctoritate regia a Bernardo de Vilario, publico Gerunde notario, qui hec scribi fecit et clausit.

[illegible]

[illegible] de femina propria [illegible] monastir [illegible] Daniel [illegible] 18-3-1337 n.º 711
[illegible] a Alamanya de Canet [illegible] Alamany de Canet [illegible]
[illegible] dicto Alamany [illegible]

Per lo mas Alamany de Canet

Mas Alamany de Canet N.º 6.

AC f. 258 N.º 6 del plec primé de Canet.

18-3-1337

738

T 260 x 333